FRANCISCI MARIÆ FLORENTINII NOBILIS LVCENSIS, ac Iatrophyſici

DE GENVINO PVERORVM LACTE, MAMMILLARVM VSV, *& in Viro Lactiſero ſtructura.*

Cum noua aſſertione Diſquiſitio.

L V C AE,

Apud Bernardinum Pierium, & Hiacynthum Pacium &c. MDCLIII.

De Superiorum Licentia.

ERVDITISSIMO VIRO
IOANNI ALCIDIO
GENVENSIVM
POLYALTHI.

QVOD tua prouocatus humanitate de Puerorum Lacte exhibeo Vir Doctiſſime, vereor ne re vera pluſquam puerile ſit. Dum Lacteos in Tho-

race à te fontes expecto, ſaliuam & mihi moueri ſentio, quod proprium infantium, dentire incipientium eſſe ſolet. Puros latices tuos noſtris inquinari non velim. ſi turbant exturba, & á caſtis libaminibus tuis procul eſſe iube. Vale. Luca. ipſo Nati Domini Peruigilio Anni MDC. LIII.

Addictiſſ[us]: ex Animo
Franciſc. Maria Florentinius

DE GENVINO PVERORVM LACTE, ac MAMMILLARVM VSV

Noua aſſertio.

VIROS aliquando in mammillis lacteſcere iam vulgare eſt. Pingues nonnullos adoleſcentes lac fundere, mihi non ſemel videre contigit, & vel ita cõfertim, vt eorum papillis appoſitus infans ſatis ad producendam vitã exugere poſſet. Sunt qui lac omne maſculum æquiuocè ſic appel-

Bonamicus de Alimen: libro 5. cap. 24. lari putent. Sed vt Hircinus, & Taurinus caſeus Magnatum menſis appoſitus caſeus eſt, ita qu d ex huberibus maſculorum funditur album, ac nutriens, lac eſſe contendo. Venaticum Canem, continua laſciuientis catuli ſuctione ſolicitatum, & catulum aluiſſe, patrum noſtrorum memoria ſcriptum inuenio, virumque in nutricis penuria mammillas infanti ad vitam præbuiſſe, pluries in Medicorum monumentis conſignatum lego. At nuper natos puellulos vtriuſque ſexus, modò obeſiores ſint, ex papillaceis tuberculis lac ita fundere, vt longius etiam expreſſum exiliat, quamuis commune, non omnibus

Calcag. ep: quæſt. 23. lib. 1. ad Th. Calc.

Alexan. Benedic. libro 3. Anat: c. 4. Corn. Gemma Coſm: l. 1 cap. 7.

bus fortaſsè obſeruatum, aut diſcuſſum exiſtimo. Memini, me non rarò nobilium infantium accuratè alendorum ſolicitudine prouocatum, in eorundem pectuſculis humiditatem quandam exudantem primò agnouiſſe, deindè diligentiùs præſcrutanti, & papillas exprimenti lac copioſius exilijſſe. Quod cum in omnibus poſtea obſeruare non licuerit, iteratis inſpectionibus didici, obeſiores tantùm ſiuè maſculos, ſiuè fœminas vniuersìm lacteſcere. Subijt indè lactei huius prouentus admiratio, quod Ariſtoteles non niſi poſt pubertatem, genitura turgente, viros lactifluos eſſe pronunciauerit; & *Ariſt: l. 3. de hiſt. anim: cap. 20.*

mirabar, quomodò nuper nati infantes, & qui celerrimè augentur tantam ſuperflui alimenti hubertatem diffundere poſſent, cum genituram, vel non continent, vel non profundant, quin etiam ſummus idem Philoſophus ex eadem alimenti redundantia, qua ſemen conficitur, & lac exuberare pluribus affirmauit. Hippocratem indè conſului, vel quicunq; ex eius diſcipulis ſit, qui Librum de Glandulis concinnauerit; at non modò lactiferos pueros nõ agnouiſſe inueni, ſed ex eo quod ille podagricas mulieres ignorauit, eundem viros lactifluos latuiſſe comperi, imo & irrationabile exiſtimaſſe. Verum ex

Ariſtot. lib: 4. de Generat animal: c. 8.

libro de Gland. part: 11.

ijsdem

ijsdem de lactis generatione, principijs, quæ in genuino de Natura pueri libro etiam continentur, educi manifeſtè poſſe videbam, teneriores, ac laxiores infantulos minus lacti gignendo ineptos fore, ſi ventris pinguior moles acceſſiſſet. Quãdoquidem, ex pinguiori in gragrauidis epiploo lac in carnes, & mammas per vteri compreſſionem exprimi, manifeſtè docuerit. Non nihil tamen obſtabat, quòd pendula omenti portio (vulgare nempè omnium omentum) in infantibus, vel prorſus deſit, vel ita minimum exiſtat, vt viſum ferè effugiat; & amplius quod ipſa vniuersìm pinguendo, ex qua dulce oleo-

Hip: de nat. puer. part. 21. & 22.

ſum in nuper natis infantibus exprimi in mammas poſſet, ex doctiorum Anatomicorum calculo deficiat. Quomodò enim nulla exiſtens pinguedo, auctæ puerilis ventris magnitudini reluctari poſſet? Occurrebam dubitationi, quòd Hippocratis, ſiue Auctoris de Glandulis epiploon maioribus glandulis refertum facile non eſſet recentiorum omentum, ſed vel meſocolon, vel meſenterium omne, quod re vera, omnibus glandulis interim deſtituto omento, multis illud & multa pinguedine ſtipetur. Inſuper cogitabam in ſuccuſioribus infantibus, quorum infimus venter, & medius thorax faſcijs comprimitur, hube-

Riol. & alii,

beriorem alimenti redundantiam, etiam meſenterio, & pinguedine non reluctantibus, ad ſuperiora compreſſum exprimi comodè poſſe. & quamuis in ijsdem tenerioribus pueris pinguedo inter cutem, carnoſumq; panniculum non adſit, ſed omnia ad modum carnis rubeſcant, aucta tamen in obeſioribus vẽtris mole (ſiue carnea, ſiue adipoſa ſubſtantia implerentur) turgentibus meſenterij glandulis, exuberantem alimenti portionem ad ſuperiora comprimi, & exprimi poſſe non videbatur incongruum. At per quas vias lacteus humor ad mammas reperet cogitandum remanſerat. Epigaſtricæ, & internæ mam-

mariæ venæ anaſtomoſim vix in mulieribus agnoſci, in viris magis deliteſcere ſuccurrebat, & incerta per hos ductus diligentioribus Anatomicis omnia recordabar. Occurrerunt lactei tubuli, quos Spigelius, & Riolanus, fortaſſe & Veſſalius, in grauidarum, & lactantium mulierum mammis, à reliquis mammarijs ſanguineis venis ſeiunctos vidiſſe affirmant, & à natura vias huiuſmodi præexiſtere inde mihi ſuadebam, quod Hippocrates iam docuiſſet, pingue, & album quidpiam pro lacte gignendo ab epiploo, ſeu meſenterio ſursum per venulas primò exprimi, mox & per infantis ſuctionem elici. Nec incomodè

Veſſal. Columb. Laurēt.

Spigel. de ſub: hum: corp lib. 9. cap. 2. Riolan Antrop. lib. 3 c. 3. Veſſal: in Anat: lib. 5 cap. 18.

Hip l. c.

comodè fore proſpiciebam vt propè membranus, per laxas inanitates, quibus deinde pinguedo, vel in ſuccingente, vel in adipoſa concreſcit, exuberans alimentum expreſſum proficiſceretur, ex cuius iteratis itineribus ſtabiles poſtea cuniculi efformarentur,& quibus etiam adeps, & pinguedo tractu temporis accreſcerēt. equidem per eandem inter cutem, membranamque carnoſam, appoſitum adipem, lacteos à ſe inſpectos canales transmeare viderat Riolanus. Spigelius verò, quem lac puerorum frequens, & in obeſis commune non ignoraſſe poſt has meditationes inueni, per minores glandulas ad mā-

Spigel. de form. fœt: c. 16 & de ſingulari infante, Cardan: 5. aphor. 37. Baricellus

de lacte cap.3.& nup Petrus Caſtell: de lact: virg.

mariæ maioris, ſeu potiùs glanduloſi corporis centrum peruenire hac lege animaduerterat vt ab inferiore parte toto ambitu enati in mammillarum centro ſemper anguſtiores facti coirent, quod vulgare argumentum eſt lactifera hęc vaſa non ex mammis oriri, ſed ad eas aliundè peruenire. Hinc Naturæ prouidentia factum aſſerebam, vt præter ſanguinem, ad irrigandas vniuerſo corpori ſupertenſas membranas, & earundem ſiccitatem corrigendam, pingue ſuperfluum exprimeretur ex ventre, cuius viſcidior, ac pinguior portio ſupra corporis incrementum abundans, ſensìm in adipem, qui ab infantibus

abeſt,

abeſt, coaleſceret. At vias, per quas ad vniuerſum penè corpus prima pinguedo transfunderetur, in fibras deinde albas, & ſubtiliores claudi poſſe putabam, quales vidit in mammis Veſſalius, fibrarum prorſùs, ac neruorum modo albicantes, vel prorſùs etiam viſum effugere, vt in lacteis meſenterij venis euenire certum eſt. Poſt quam verò in pueris incrementum ſuſcipientibus minus alimenti redundaret, non aliter accidere his exiſtimaui, ac vmbilicalibus vaſis, nimirum quòd ociarentur, vel in alios vſus cõuerterentur; Et quemadmodum per eadem vmbilicalia vaſa in morbis aliquandò contigit, vel ſangui-

Veſſal. l. c.

Plures Auct. ap. Riol: lib. 2. Antr. cap. 10.

nem, vel vrinam effluere, ita in pubertate, luxuriante iterum alimento, lactei dudum arefacti canales, primò turgeſcerent, deindè ad mammas aperirētur, faciliùs quidem in mulieribus molliori, ac laxiori corporis ſubſtantia præditis, rariùs, & difficilius in viris denſiori conſtitutione donatis. Facit fortaſſè ad puerorum lacteam in mammillis hubertatem, quod copioſiùs primis diebus lac exuctum neque in corpus, multo nondum alimento aſſuetum, diſtribui neceſſe ſit, nequè longiore mora in pinguem, albumque humorem conuerti, ſed primitiuæ qualitatis conditione ad membranas irrigandas facilè

per

per patentes inanitates primùm,
mox in papillas puerorum re-
fluere contingat; niſi quis certi-
ores vias amplexus, per thora-
cicas à caua vena lactis reflu-
xum euenire potiùs contendat.
Profectò meatus aliquos in in-
fantium mammillis à natura pa-
tere, ſi quis negaret, ſenſum ſe
negare ſciat, quinimò patentio-
res eos eſſe, quàm in adultis.
Quamuis enim ab extenuatis
infantibus, in quibus ſuperflu-
um non exuberat alimentum,
parùm aut nihil lactis effluat, in
alijs tamen ſuccoſioribus intra
triduum, aut quatriduum, ex
quo editi ſunt, ſi lacte ſaginen-
tur, copioſiùs fundi argumen-
to eſt vias ab ortu hiare. An
vero

verò eodem momento, quo naſcuntur lactarij ſint non dum apertè affirmare me poſſe contingit. Caſtellus in Puella Meſſanenſe à natiuitate vsq; ad decimum menſem mammas lacte turgere vidit, & in vtero lacteo aliquo humore connutriri fœtũ, Hippocrates aſſerere non erubuit. Quamobrem, ne palmarem ocioſitatis iniuriam naturę inferrem, conſentire renuenti mihi, ad ornatum tantùm in pueris, ac viris mammillas efformatas eſſe, in mentem ſubijt, quod in vtero ſaltem officium præſtarent. Iam conſtare arbitror, in modo natis infantibus papillarum meatus patere, & per hos tenuiores tubulos, dum

Caſtellus l. c.

Hipp. de nat. pueril. c.

in

in genitiuis membranis adhuc intra matrem continentur, ſuperfluas humiditates,ſiue ſupremi, ſiue medij ventris faciliùs in Amnion extillare poſſe,quàm per reliquos cutis meatus exudare. tùm quia alibì in ijsdem nuper ortis infantibus,quantumuis ſucculentis, compreſſa cutis humorem vllum non redderet: tum quia fœtus,lutoſa quapiam, & ex ſordibus compacta tunica, meatus occludente, ad cutem obductus in lucem prodiret: tũ quia ſi papillacei fontes in vtero paterent,nonnullas nec minimi ponderis difficultates ſilere viderentur. Non me latet ſerum illud intra Amnion tunicam collectum; & in quo infans volutatur,

lutatur, partim ex ſudore, partim ex vrina eſſe cordatis etiam Scriptoribus arriſiſſe. At præterquam quod non æſtuantem neque labore diſſolutum fœtum ſudore diffluere aliquibus cum riſu ſuſcipitur, non ignorandum eſſe ſuccurrebat, ſerum illud intra membranas obuoluentes clauſum, & primis à genitura menſibus non adhuc explicatis affabrè partibus, præire; Quod firmiſſimum eſſet argumentum, nequè per veſſicam hactenus imperuiam, nequè per cutem nondum complanatam excerni potuiſſe, quin potius ex ipſa genituræ fermentatione, ac ſegregatione formatricis, ac famulantium naturalium faculta-

tum

tum ope, à ſolidioribus partibus tanquam formationi inutile excrementum excludendum eſſe ſtatuebam. Poſtquam verò efformata membra exequi aſſignata munia inciperent, negandum non eſſe ſciebam, ſeroſitatem pro alimenti vehiculo attractam, seù quid ſubtile ſupra partium nutritionem exorbitaret, ſecerni debere; at per quas vias inter Anatomicorum diſſidia hæſitabam. Qui geminam tantùm Chorion, & Amnion membranam ſuſcipiunt, per veſſicam, & cutem in huius ambitum ſeroſum humorem profluere me docebant. At Galenus id per anguſtiſſimum, & obliquum veſſicæ collum, ac *Gal. lib. 14. de vſu part. c. 5.* ſphin-

ſphintere coſtrictum euenire, negabat, cui Varolus aſſentiens addebat, vrinam in veſſica ad partum vſque aſſeruari, ac indè fieri, vt recens natus infans breui ſpacio copioſam vrinam effunderet. Memineram inſuper, Riolanum in comparatione humani fœtus cum perfecto homine adnotaſſe, in eodem non dum nato veſſicam tam magnam eſſe, vt ventriculi ambitum tripla magnitudine excederet. Ad quid enim inferebam, tam amplum conceptaculum extruere, ſi quotidie extillare, non in longum tempus aſſeruari vrina deberet? & cur nigrum illud excrementum, mulieribus noſtris Pix dictum,

Riol. 6. lib antr. cap. vlt:

in

in tenuioribus inteſtinis, adeò ſenſibilibus, tanto ſpacio, & ad infantis vſque exortum conſeruatum retinere, ſi vrina, in tam ampla veſſica ſpaciari valens, non ad partum conſeruaretur, ſed ante in Amnion proflueret? Per os, aut nares conniuentes, humorem non excerni, omnes ſentire Anatomicos videbam. Per aperta enim narium, aut buccæ foramina, ſi quid efflueret, fieri vtique non poſſet, quin inſpiratio longiùs diſtantis aeris, diruptis illicò obſtaculis ſuccederet, vel contra naturæ leges copioſum in eadem tunica impurum excrementum, & cui fœtus tanquam nauis Democrito innatat

per

per eadem inconcinnè reflueret. Cum igitur, quod à nutritione ſupereſt, & commodè in veſſicam transferri nequit, per cutem exudare difficillimum eſſe viderem, ad patulos papillarum meatus non incongruè recurrendum eſſe exiſtimaui, non quod inde confertim multa exire putarem, ſed quod corporis, & meatuum proportione ſenſim, & minutim extillaret, ſeroſitatem ab initio collectam guttatim adaugeret, ac fortaſſè etiam nonnihil craſſioris ſubſtantiæ ad cænoſam cutis tunicam adderet. Quòd ſi quis ſerum fundere ſtatim ab ortu papillacea capitula non viderit, iam frigidioris aeris occurſum

ſpi-

ſpiracula conſtipare poſſe meminerit, ac ita repercuſſum humorem faciliùs ad veſſicæ tunc patentes canales excurrere potuiſſe. Nequè per papillarum apertos meatus cōmodæ effuſioni, ac incōmodæ per cutem transfuſioni contradicturum quempiam timebam, qui ſciret puerorum cutem imperuiam eſſe, & in primo ſtatim ortu poris carere. Quod quamvis aliquibus anatomicis non videam obſeruatum, id tamen Theophraſto perantiquo philoſopho innotuiſſe legeram, qui ideò infantes non ſudare ſtatuerat, quia nondum cutem poroſam haberent. Idem inter axiomata, & lemmata apud Ga-

Theoph. lib de ſudor.

Gal lib 1. de ſimpl med: fac cap. 12. & 1 de Tēp: c. 5. Bauhin. Theat: Anat. lib. 3. c. 2.

Galenum numeratum, ac repetitum ſciebam, cutem nimirùm omnem in primo ſtatim ortu eſſe continuam, & temporis ſpatio perforari, ideòq; infantes pilis carere, quia meatus in cute non exiſterent, quod etiam Bauhino non vulgari anatomico placuiſſe noueram. Hinc fore inferebam, vt quò difficiliùs, per impermeabilem reliquam cutem ſerum traijci, quis ſibi ſuadere potuiſſet, eò faciliùs capitis, thoracisque præcipuè ſuperfluas alimenti ſubtiliores reliquias, & quæ colligi comodè in veſſica non poſſent per papillarum patentes meatus transfundi concederet. Tandem colophonem aſſertioni ita

im-

imponebam, mammillas in fœtu iam ſuo munere functas à puerili ætate ad pubertatem vniuerſim ociari, nonnullarum partium exemplo non eſſe inconueniens. Poſt pubertatem in vtero gerentibus fœminis, & in enixis, ac nutricibus iterùm adaperiri, manifeſtiſſimum eſt. Minus frequens in virginibus,& viduis, quibus ſtatæ menſium purgationes deficiunt; raro in viris, hiſque tantummodò, quibus per ſolicitam præcipuè venerem meatus laxarentur, & per obeſitatem alimentum excederet. De lactiferis virginibus latè Caſtellius exempla collegit; ipſeque de inculpatæ honeſtatis mulieribus domeſtica *Caſtellius de lacte in virg.*

mo-

monumenta proferrem, niſi nomini iurè parcendum eſſet. Hoc tantùm bona fide narrabo, nobilem adhuc viuentem Viduam, & quæ non optimo ſucco ſcateat, imò in hydropem prona ſit, ità quolibet menſe ſeroſi lactis effuſione ſtatas menſium purgationes anteuertere, vt non modò lac expreſſum exiliat, ſed ſponte è mammis, & largiùs profluat. Nec de lactifluis viris cõgerere obſeruationes eſt animus, cum plerique de lacte ſcribentes proprias ſchedias proferant. Quia tamen mammillarum meatus à natura patere magis magiſque appareat, addam & mulieres aliquandò ſanguinem menſtruorum vice per papillas

pillas reddidiſſe, vt apud Schē-Kium videre eſt, & ſicciſſimam auiamque anum à ſamelico in-ſante matris defectu in mammil-lis prouocatam, vt ab Eccleſia mulctatus Bodinus teſtis eſt, lac-tis tantum profudiſſe, vt infans abundè nutriretur, immò quod Alexander Benedictus refert, Syrum quendam mortua coni-uge infanti morituro ita ſæpiùs aridas papillas admouiſſe, vt continuato tandem ſuctu lac emergeret magno totius Orbis miraculo. Igitur colligebam in adultis ſiuè maſculis, ſiue fœminis, non ad ornatum tan-tùm mammillas, ſeù mammas protuberare, ſed poſt comple-tum in vtero iam dictum ſuper-

Schenk in obſer: Bodinus Theatr: nat. lib: 3. Alex. Bened: libro 3. Anat: cap. 4.

flui

flui humoris tranſcolandi officium, dulciori deindè alimento ſupra pinguedinem exuberanti, minori corporis noxa educendo fabrefactas eſſe, imò & glandulis aliquibus eadem ratione ſuccenturiari. Quod cum in noſtra de Glanduloſis corporibus diſquiſitione diffuſiùs explicandum ſit, his interim diligentiores Antropographos excitatos volui, vt ex infantium, & lactentium papillaceis oſculis, Creatoris noſtri laudes magis perfici quoquo modo contingeret.

LAVS DEO.

DE MAMMILLARVM IN LACTIFERO VIRO Structura.

Obſeruatio.

IAM ad graues medentium labores mulcēdos de Infantium genuino lacte neniæ noſtræ prodibant, cum inſperatò accidit lactiferi, quamuis non huberrimè, Viri cadauer inſpicere. Subſtiti, & maſculi lactis ſcatebras rimari, & in commentariolum redigere pruriebam, quòd ab his, qui de hominis compage ſcripſerunt, ſiuè vt infrequens, ſiuè vt ana-

tomico labore minus dignum prætermiſſum viderem. Dumque vanam hinc occupationem meam reputandam eſſe timerẽ, & inde non omnibus deſpectui fore ſperarem, manum à ſcribendo non continui, ſed tantũ humaniſſimum Lectorem meũ præmonitum volui, vt in abiecti cuiusdam tugurioli oſtio ita clamantem audiat Heraclitum, *Ingredere ſunt hic etiam Dij*.

Igitur quæ oculorum, & obtuſæ alioquìn mentis, intenta acie explorare contigit, iucundioribus hic Philiatris impertire non grauabor. Adoleſcens erat è Vithiano Lucenſis ditionis pago cæmentarius, lacertoſus, ac ſubpinguis, qui vigeſimo

circiter ætatis anno, adhuc in facie, & pectore glaber, per latera enſe transfoſſus, multo in imo ventre profuſo ſanguine, celerrimè obierat. Succurrit in quadrato corpore, & vt præſciueram voraci virilium mammarum ſtructuram inquirere. Secabat Hyeronimus Cremonæ peritiſſimus æquè Chirurgus, ac dexterrimus Anatomicus, iamque ex altera pectoris parte cutem remouerat, cum thoracicus ſubtenſus adeps comparuit, non quidem albi, & ſuilli laridi modo compactus, ſed innumeris giluæ, & pinguis ſubſtantiæ veluti depreſſis glandulis conflatus, & pluribus membranarum ſepimentis conſarcina-

tus. Hinc amota cum reliqua cute diligentius papilla, quantum fuſca exterior areola ambitu continebat, tantum lacunoſum, candidumq; corpus papillæ eidem ſubiectum inuenimus concauari. Ab interiori parte, vt adhærentis adipis reliquias remouerem, accenſam candelam appoſui, sed papillæ ſubſtantia, non modò tanquam pinguedo, non diffluebat, quin potius durior euadens ad exteriora turgidius capitulum exprimebat. Tunc in excoriati pectoris facie candida quædam patuerunt veſtigia inconcinnè per totam excurrentia, quæ primùm adhærentis cutis portiones eſſe ſuſpicabar, mox membranarum

lacinias eſſe comperi, quibus p̃ interpoſitum adipem carnoſa membrana cuti frequentiſſimè alligatur. Ex candido, (de quo poſtea) interiecto corpore, & palleſcente adipe, ſimul ad mã̄millæ apicem ſurgentibus, eiuſdem protuberantia componitur, iuxta ſubiecti pectoralis musculi expanſionem. Horum eminentior ſummitas in areola papillæ circumpoſità deſinit, vt quantùm paruæ areæ orbita extenditur, tantùm deinceps ſuppoſita pinguedo deprimatur, & in candidam lacunā excauetur: & quamuis amplior lacunoſus ſinus in lactante muliere extendatur, in pueris tamen, & viris, digito ſupra papillam impreſſo,

exterius etiam facillimè explo-
rari poteſt. Huic imponitur tã-
quam operculum fuſca areola,
quæ vnà cum papilla in multas
rimas, ſiuè complicatur, ſiuè di-
uiditur. Ex turgidi corymbi, vt
Serenus cecinit, rugoſis apici-
bus digito expreſſis, in miſero
adoleſcente lactis guttulas exi-
lire vidimus, & lactiferum fuiſſe
dum viueret, certò agnouimus.
At, cum noctu hæc agerentur
veritus, ne ad facis lumen, mini-
ma quæq; tam coloris, quàm
ſubſtantiæ viſum noſtrum effu-
gerent, & in aliquibus decipere-
mur, in meridiana ſequentis diei
luce diligentiùs ſcrutandas mã-
mas ſeruari curaui. Cuticulæ
ergò primùm in fuſca areola

portiones aliquas à cute diſiunſimus,& quod in nigra mulieris area, & papilla aliàs adnotare, contigerat, manifeſtè agnouimus, colorem nimirum omnem ſiue ruber, aut fuſcus, & niger ſit, in ipſa tantùm cuticula reſidere. Quod ideo attentiùs inſpeximus,quia de adurente Nigritas ſole opinionem deludere videtur. Etenim quemadmodũ Æthiopum nigredo in ipſa tantùm epidermide exiſtit, cutiſq; immediatè ſubſtrata de more candicat, vt Anatomici obſeruàrunt, ità & in fuſca, nigraque mammaria areola, quæ non modò à ſole non torretur, ſed veſtibus ſemper aduerſus ſolem munitur, candidam immediatè

cutem ſubſterni inuenimus. Vni-
uerſa cuticula, quæ mammilla-
rum extuberantiam operit, in-
numerabilibus rimulis diſtin-
guitur, pręcipuè in areola, &
papilla, quæ cum aliquãdò ma-
gis, aliquandò minùs promine-
at, immò & aliquandò ferè in
ſubiecta lacuna deliteſcat, am-
plioribus, ac profundioribus fiſ-
ſuris, ad extenſionem, & contra-
ctionem donari expediebat.
Quia verò quãtò magis pingue-
do in ſuccoſo corpore abundat,
tantò magis cuticula diſtenta,
complanatur, in læuiori adole-
ſcentis epidermide minutiores
vniuersìm, & exiliores rimulas
vidimus, ita vt microſcopio,
quo minima obiecta ſub maiori

mole repręſentantur exploratę, nec profundè inter ſe de more concurrerent,nec ſe mutuò altè impreſſis lineis ſecarent; quinimò cum ferè glaber is eſſet, & minutiſſimi tantùm pili areolã circumſtarent,imæ foueæ,vndè in hiſpidis, & exuctis corporibus pili emergunt, parum hic à reliqua ſuperficie deprimebantur, & vniuerſa cuticula, quæ in non obeſis corporibus ex diaphanis quaſi glutinis trapezijs teſſellata, & ferè ſectilis conſtruitur, vix quicquam à cõmuni, & ob oculos poſita planitie deflectebat. Nec ex interna parte,quà cuti adhæret,venulas ad eandem peruenire vidi, & ſi ruber puerorum, & virginum

in

in papillis color, prorsùs cuticula inſidens, non niſi venularum textura exiſtimari conſueuerit. A rugarum in ſummis papillis profunditate, lactis guttulæ prodibant, nec tamen tubi beneficio in ſẽſibiles meatus aperiri rimulas vidi, quemadmodũ in puerperis ac nutricibus conſpicere licuit. Iam igitur cutem à ſubiecta pinguedine ſeiunctam ſcrutabar, nihilq; aliud eius cõpaginem eſſe colligebam, præterquam ex pluribus membranis, ſeu tunicarum laminis, ſibi inuicem ſtrictè ſuperpoſitis, efformatum corpus, candidum, lubricum, extenſibile, & propria veluti neruea carne donatum. Extima ſuperficies, quæ cuticu-

læ validiſſimè adhæret, læuior eſt, non tamen ità exactè læuigatur, quin ex particulis eleuatioribus,& compreſſioribus cõſtruatur. In interna facie, quà innumerabilibus fibris, imò membranarum manifeſtis ligulis, carnoſæ membranæ per interpoſitam pinguedinem iungitur, humidior, magisq; inæqualis apparet;partim enim in monticulos excreſcit, partim in vallecculas deprimitur. Vbi prominet, in ſubſtrati adipis cauitates immergitur,& indè membranaceas lacinias ſuſcipit: vbi autem verſus cuticulam concauatur, & lucido aeri expoſita vocatos poros oſtendit, vt plurimum adipis portiunculas recipit, qui-

bus

bus pilos connutriri veriſimile, eſt, tum quia violenter auulſi pinguedinē in radicibus præſeſerunt, tum quia exterioribus foueis, quibus pili implantātur, quoquo modo reſpondere vidētur. Plurimas cutaneas & ſubcutaneas venulas, ſiue arteriolas, quæ in mulieribus propalā ſunt, in diſciſſis lactiferi adoleſcentis mammillis inuenire non licuit, ſed optici tubi auxilio vix raras, & exiles venulas conſequi licuit. quarum vna, aut altera ad papillam tenderet. Tota cutis ſubſtantia, neq; exteriùs, neq; interiùs appoſito igne liqueſcit, ſed euaneſcente humido magis contrahitur, & læuigatur. Contracta igne craſſities præter im-

menſas manifeſtè ſanguineas venulas, meatus aliquos oſtendit inter membraneas bracteas ſuas, per quos fortassè in viuentibus, vel parùm inciſa cute, ſanguis effluit. An papilla ex cutis reduplicatione componatur, vt aliquibus Anatomicis placuit, anceps ſum, lacunoſum quidem, candidumq; corpus, quod areæ & papillæ connexum in pinguedine viris immergitur, & in lactantibus mulieribus per glandulosum corpus diſtribuitur, ab ipſa cutis ſubſtantia parùm, & ſola mollitie differt. Cœterum admoto igne, vt cutis contrahitur, ac dureſcit, & eodem modo ex ſuperpoſitis, ſibiq; inuicem adnexis tuniculis compoſitum,

ma-

magis,minuſq;meo iudicio craſſescit,'& ampliatur, quo magis, minuſq;feraci humore irrigatur, & imbibitur. Hoc idem candidum corpus in lactifero adoleſcente ſub areola, & papilla in lacunam excauatum, digitali ferè craſſitie per pinguedinem proficiſcebatur, donec per tres latos digitos ſensìm in gyrum extenuatum, ita in ipſo adipe deliteſceret, vt limites nequè oculis, neq; microſcopio licuerit attingere. Nec tamen infernam pinguedinem penetrabat, aut in ſubiectam carnoſam, ſeu adipoſam membranam perueniebat, quinimò dum ad plures dies excoriatam mammillam ſeruari curaſſem, euaneſcente

pau-

paulatìm membranarum humo-
re, candidum, craſſumq; quale
pinximus corpus, primò aliquid
ſanguinei indicans apparuit
mox penitùs in ipſa pinguedine
euaneſcens delituit, & non nihil
carnei, & membranei in ipſo la-
cunoſo ſinu reliquit. Quod cum
nuper in defũcta extenuata, pu-
bereque virgine animaduer-
tere vellem, aliter eſſe comperi;
& lacunoſum corpus ſub papilla
poſitũ ab externa quidem pin-
guedine ĩ ſubcutanea peripheria
circũuallari, ſed abſq; alio ſub-
ſtrato adipe carnoſæ vocatæ
membranæ, & per hanc ſubie-
cto muſculo alligari. Tantus eſt
autem recenter diſciſſę lacuno-
ſæ huius ſubſtantiæ candor, vt in
ſole

ſole microſcopij auxilio tanquã ex glaciatæ niuis fruſtulis compacta appareat, & nõ modò ad primitiuum ſolis lumen intenſiorem lucem reflectat,ſed ad parietis etiam ſecundarium, ad modum prętioſi lapilli reſplendeat. Per lacunæ ambitum in mammillæ centro candidum idem corpus ad papillam aſcendit, & capitulum prominens cũ ipſa cute componit, nullis mihi manifeſtis limitibus diſtinctum, neq; apertis illis tubulis ſociatũ, quos in lactante muliere, proſtare ſciebam; fortè quia infęlix adoleſcens non huberrimè lactarius erat. Inter membranularum tamen, ſeu mauis fibrarum contextũ inanitates eſſe in quo-

cunque

cunq; vel puero, vel viro colligebam, quòd ſi capitula contrectentur exurgunt, & ad papillarum titillationem ſubitò ſpirituum affluxu rigeſcunt. Quod verò nerui ad exquiſitum ſenſum inducendum in papillam maniſeſtè ferantur, vt aliqui docent Antropologi, neq; in viro, quẽ ſecuimus lactifero, neq; in nuper enixæ, & lactantis mulieris amplioribus mammis diſcernere licuit: fortè nec adeſſe neceſſe eſt, cum plures ibi membranarum portiones inſerantur, quas ſiuè ex ſe partes ſpermaticę ſint, ſiuè neruorum expanſiones, non obſcuro ſenſu donari omnes cõſentiunt. Cum autem ex mulierum lactantibus mammis, quòd

conſpectiora omnia in maiore
mole contineant, mammillarũ
virilium conſtructio magis pa-
tere poſſit, quidquid in enixa
trigeſimo circiter à partu die,
eodem dexterrimo Cremona
ſcindente, obſeruare licuit, ſub-
dere libet. Obierat ex febre mu-
lier procera, ac carnoſa Caſe-
roniani Opiduli indigena, in
qua diſperſæ per extimam cutẽ
liueſcentes venæ multo etiã lac-
te adhuc turgere hubera demõ-
ſtrabant. Ad mammarum cen-
trum lacunam ſubeſſe, eamque
ampliorem ac latiorem, quam
in lactifero viro digito cõpreſſa
papilla docebat, qui lacunoſus
ſinus eouſq; extendebatur, quo-
uſq; nigra potiùs, quàm fuſca

area perueniret. In hac, quaſi in pullo, fæcundoq; agro plura inæqualitèr diſpoſita tubercula vegetabant, & veluti diſſeminatæ papillulæ prominebant, ex quibus, ſi cõprimerentur, lac vel in mortua exibat, ſeroſius quidẽ & reliquo non nihil obſcurius. Papillaceę iſtę, vt ita dicam, verrucæ Anatomicis, quòd viderí, prætermiſſæ in lactifluis passìm mulieribus, & ferè omnibus nutricibus tàm propatulæ ſunt, vt eas inſpicere vnuſquiſq; facilè poſſit, immò & aliquando in mammillarum virilium areola prognatas me vidiſſe memini, licet an lac funderent periculum non fecerim. ex his, quæ in ſummitate patent, tuberculis fortè

in mulieribus ſeroſum lac profluit, quò ſugẽtis infantuli labia irrigantur, & manantis à ſuctione lactis ea copia adaugetur, quæ noſtro fœminis idiotiſmo dicitur : *la Mettitura*. lacteos hos fonticulos in affluentibus nutricibus reperiri fortè Ariſtotelem non latuit, dum non nullis lac ita exundare dixit, vt non ſolũ de papillis exiret, ſed etiam paſſìm per hubera, aliquibus etiam per alas diffluerent. Nil aliud interìm in externo defunctæ puerperę mammario inuolucro obſeruare potui, niſi maiores, ac profũdiores in pulla area rimas, craſſiorem cutem, præſertìm cũ ad papillam accedit, & patentiores meatus, qui per cutaneam

Ariſtot: 7. Hiſt. Animal. cap. 11.

craſſi-

craſſitiem diſperguntur. Igitur lactis ſyphunculos explorare libuit, & per sūmæ papillæ rugas facillimè immiſſo obtuſo acu, vias ad ſubiectam lacunā palàm eſſe, & ſine anfractibus reperi, cū tamen in reliquis lacteis verrucarum meatibus non vltrà cutē progredi licuerit. Iamq; glādulosum corpus adipe loricatū reſultabat, plureſq; maiores, ac minores venarum, ſiuè arteriarum ſurculi ſub cute gradiebantur, & per pinguedinem in ipsū glanduloſum corpus excurrebant: Giluus imò flauus adeps ad areolæ vſq; limites protēsus diſiunctas, compreſſaſq; placētulas, ſibi tamen per membranulas mutuò cohærentes, prçſeferebat,

rebat, quarum aliquæ ita in glā-dulosum corpus penetrabāt ad candidam vſq; ſubſtantiam, ſiuè lacunoſum ſinum, vt glandulo-ſam compaginem ipſam circa pinguedinem accreuiſſe, ſuadere facilè poſſent. Exteriorem omnem ſub cute faciem adeps operiebat, & per ſemiglobi limbum ad interiorem planam ſuperficiem, & carnoſam mēbranā ità deſcendebat, vt non omnem inuolueret, ſed ad mammæ planæ medium prorſus deficeret. Maior adipis portio in extremo ambitu luxuriabat, vbi ſterno continuatur, minor vbi ad alas carnoſior pectoralis muſculus ſub huberibus expanditur. Ita propalàm vidimus, quod

contra Veſſalium, & ſectatores Riolanus docuit, nimirùm vnicum eſſe mammarium glanduloſum corpus, non multiplex: his enim fortè adipis globuli, & glãduloſæ placentulæ impoſuerunt, quæ in mãmillare corpus immerſæ, non candelæ lumine colores confundente, ſed meridiana luce optimè diſcernuntur. Porrò carneum ſeù membraneum parenchyma, quod glanduloſũ corpus appellant, non modò à candido, & lacunoſo intra ſe poſito, colore, ac ſubſtantia differt, ſed à ſemetipſo interiori, & exteriori non nihil variat. Quamuis .n. vbiq; ſpongioſa, ac fungoſa ipſius ſtructura exiſtat, in exteriori tamẽ limbo, vbi

propria, ac ſubtili membrana operitur, ſolidior, carnoſior, ac rubicundior eſt, quàm in ipſius mammæ penetralibus, vbi eò magis candicat, quò ad lacunoſum corpus, & papillam propiùs accedit. Vaſa ſanguinea per totum excurrẽtia recipit, à quibus tamen lactei meatus per idẽ corpus comſpectiſſimè diſperſi omninò differunt. Exiliores hi lactei cuniculi extrà carnoſam membranam in ipſius glãduloſi corporis fimbrijs primò apparuere mihi vbi .ſ. mammæ extuberantia in cutem, & adipem definit, à carnoſo verò panniculo ad muſculos, nullas lacteas ſtillas exudare conſpexi. frequentiores, & vberiores ſcatu-

rigines à pinguiori limbo propagari comperi,ab eo nimirum latere,quod ſterno connectitur, & imum ventrem reſpicit,ſubtiliores tamen ſunt,quò magis ad peripheriam accedunt, ſensimque augentur, quò magis in lacunoſum ſinum proximiores feruntur. Candidum corpus, in quo lacteæ cryptæ ſub papilla irregularitèr poſitæ continentur, & lacunoſum vaſculum efformant, eodem modo per glãdulosum parenchyma diſpergitur iuxta ampliorem mammę latitudinem, quo per pinguedinem in lactifero Viro expandi diximus, minùs tamen æqualiter,& quibusdam veluti lacinijs propagatum. Ex lacteis cryptis

cuniculi inferiùs, & ad latera in alias breuiores deſcendunt, modò anguſtiores, & tortuoſi, modò ampliores, & recti. Qui verò rectà ſurſum, & extra repũt, æquales in tubæ formam exurgunt, exiliores ſemper aſcendẽtes, quouſq; in papillæ ſummitate anguſtiſſimè congrediantur. Hi, qui octoni ſaltem pro ſingula papilla ſunt, quemadmodum & cryptæ lac copioſius continent; & quamuis intrà glanduloſum ambitum lacteæ ſtillę vndequàq; exudent, diſciſſa tamen ab axilla ad ſternum tranſuerſim, & per centrum mamma, ſi primum huberius lac exprimatur, quod reliquum eſt omne ad candidum lacunoſumq; cor-

pus ſuapte uatura ferri iucundum videre eſt. An verò tubuli & cryptæ propriam tunicam ab alba reliqua ſubſtantia diſtinctam habeant, neque nudis oculis, neq; optico tubo certò elicere potui, cum ab expreſſo lacte exinanita vaſcula à reliquo candicante corpore non differant, & per membranarum aceruum ex iugi lactis prouentu, & ſine peculiari tunica, facilè efformari potuiſſent. Minus etiam compertum habeo, an lacteus humor in ipſis glanduloſis, & candidi corporis cauernulis efficiatur, an tantum perficiatur, & cum lactei meatus, & guttulæ à venulis ſanguineis, dum mamma intimè inbiditur, prod-

ſuis differant, an albus ſuccus abundè influat, adhùc inſpicere non licuit, neq; mentem alienis dictis hucuſq; accomodare. Fas igitur ſit, præter ea, quę nimis fortaſſè properantèr in gratiam Doctiſſimi Viri de Puerorum lacte effudimus, aliqua ſubdere, quæ dictis nouę quidpiam lucis adferant, & hinc alij ad meliora prodenda exciantur. Quāuis enim mox dicenda proximiùs mulierum mammas, & in his lactis affluentiam attingant, dum tamen hæ humani proprij corporis reſpectu poſitione, & officio à virilibus lactiferis mammillis non differant, ſed variæ poſt pubertatem fiant, & mobilibus tantùm differentijs, iuxta

maiorem, aut minorem accedẽtis alimenti affluxum ſeiungantur, vtriſq; accomodata hęc eſſe volui. Neq; lactis maior, minorue copia, ſolidiores, maioreſq; in fœminis glandulæ, & ampliora lacunoſa corpora ab earundem communione me deterrebant, quandò ætas, & ſpontè, vel per ſuctionẽ exhuberãs, vel deficiens alimentum hæc omninò in fœminis adferat, & ſubtrahat, & conſpectiores, amplioreſqvenasin glanduloſis præter naturam tumoribus quotidie vel progigni, vel produci videamus. Exundantem ſuccum aliundè ad mammas ferri neminem negantem video, & plura eſſe quæ confirment. Cur enim

tàm in maſculis, quàm in fœmi-
nis mammillæ per tot annos
graciles, & depreſſæ in puberta-
te poſtmodùm extuberãt (quod
in maſculis fraterculare, in fœ-
minis ſororiare antiqui dixerũt)
eòdem prorsùs tempore, quo
genitura turget, niſi quòd, iam
ferè abſoluto vniuerſi corporis
incremento, exhuberans alimẽ-
tũ in teſtes, & mammas fertur?
Profectò id manifeſtiſſimè, vel
docere, vel cõfirmare arbitror:
tàm magna in mammis virorũ,
æquè ac fœminarum, etiam poſt
pubertatem differentia. Quan-
doquidem in pingui viro, non
modò magis eleuatæ mammillę
ſunt, ſed candidum, aut ſi ma-
uis cum Bauhino (qui quondã vi-

dit) glandulosum corpus conti- nent; in exucto verò à me diligentiùs perquiſito, ne momentum quidem internæ mammillaris conſtitutionis inſpiciatur; vt in exuctis quoq; fœminis, nec longè à fæcunditate poſitis obſeruare contigit. Hinc communitèr Anatomici exiccatas vetulas glanduloſo corpore omninò carere fatentur, & oculatiſſimè Riolanus magnam inter lactantem, & ſiccam mulieris mammam differentiam eſſe docuit: & quòd in mammis aridis, & exuccis candidus adeps vbique appareat: & quòd ſubiectam membranam pro glanduloſo corpore acceptam, & muſculū pectoralem ab adipe diſtermi-

Bauhin. lib. 1. Anat. c. 10

Bauhin. Theatr. Anat. l. 2. cap. 4
Bartol: Inſt. Anat: l. 2. cap. 1.
Riolan. Antr. l. 3. cap. 3.

 nan-

nantem, duriſſimam, ac craſſiſſimam inuenerit; è contra inpuerperis & lactantibus ſub cute membranam ſæpè adipi ſupertenſam agnouerit. Ex his enim differentijs, quæ perbellè autopſiæ reſpondent, elici poſſe videtur, glanduloſum corpus inter adipem, & membranas carneo quodam alimento irrigatas concreſcere, & hoc deficiente, in duram iterùm tunicam ſubiecto muſculo adhærentem redire, partim quia plures membranæ, quæ glanduloſum corpus operiunt, & frequentiſſimè interſepiunt, iterùm in ſemet corrugatæ complicentur, partim quia carneum iam appoſitum alimentum, non perfectè in terreis

reis eiuſdem, & craſſioribus particulis exiccetur, & euaneſcat. Quod non diſſimili modo, ac in grauidarum vtero euenire putarem, quippè qui ſanguine, & exuberantis alimenti affluxu ſaturatus non modò in magnam amplitudinem extenditur, ſed in notabilem craſſitiem intumeſcit, donec expreſſo iterum, vel in puerperia, vel in mammas exundante ſucco, non omninò ad priorem, ſed non nihil grandiorem molem reducitur. Aſcendit ſuaptè natura, ſiuè expreſſus, ſiuè attractus lentus humor ad membranarum irrigationem, omnium ferè ex Ariſtotele, & Galeno Anatomicorum decreto; cumq; tanta ſit vbiquè

Gal. 5. nat. fac. cap. 15. Ariſt. 3. de Hiſt. animal. cap. 11. Bauhin. Theatr. anat. l. 1 cap. 5. & Anat. l. 2. par. 2. cap. 2.

mem-

membranarum neceſſitas, tàm ad robur, quàm ad tutelam partium, vbiq; etiam talem humorem adeſſe neceſſe eſt, plurimū verò vbi plurimæ meninges coaceruantur. Quis autem in ſolidiori præcipuè adipe, & in māmis membranarum aceruum eſſe oculis ſuis negabit? Nemo vt arbitror, immò aliquis curioſiùs fortassè inquiret, quomodò ſiuè genitæ, ſiuè traductæ tunicæ in tantas, & ferè innumerabiles exercuerint. Dicā quod ſentio. Carnoſa, ſeu adipóſa in homine membrana, aut ſi duplicem diſtinctè malis, vtraq; vniuerſum corpus à natura ſuccingit, pluribuſq; membranaceis lacinijs, quæ manifeſtam oculis, & magis

Bartol. Inſtitut. Anat. l. 1. c. 4.

gis

gis microſcopij beneficio lati-
tudinem habent, tàm exterius
ad compoſitam pluribus item
velaminibus cutem alligatur
quàm proprio muſculorum in-
tegumento interius connecta-
tur. Inter hæc connexionis ſpa-
cia (nam & mulieribus etiam
ſub carnoſa membrana pingue-
do reſultat) ſi lentus, ac oleoſus
ſuccus exuberet, latiores primū
contignationes membranarū
earumq; inanitates replere ne-
ceſſe eſt, deinde ſenſim in arcti-
ores nexus penetrare, ac collig-
gationes parum diuellere. Sin
tranſcurſus humor, vel ſui len-
toris inſtintu, vel acido genuini
noſtri ſalis ſpiritu ab internis
partibus (vt chymicorū lingua

vtar) exaltato concreſcat, iam extendibiles ſua fibrarum natura membranas in molem ex prima irrigatione non nihil acutas magis magiſq; creſcere oportet, & in adipem magis, minusq; ſolidum, & carnoſum, ſeu glandulosum efformari iuxta ſucci, & ſpiritus qualitatem. Quò enim magis adipoſa corpora ſecare contigit his minores ineſſe glãdulas experientia hucvſq; didicimus. Membranarum amplificationis ſpecimen quoddam, quia ſpermaticæ ſunt, fortè quis agnoſcet, ſi ſemina alba, & cum aliqua ſoliditate carnoſa tepenti humore irrigata meminerit in album veluti gluten extendi, quam muccaginem pharmaco-

polæ

polæ appellant, & inſuper mēbranaceas, & cutaneas animalis portiones ad ignem elixatas, & in aquam diſſolutas, rurſùs in diaphanum, glutinoſumquè corpus concreſcere ſub eadem ferè imagine, ſub qua pinguedinis noſtræ globuli, & lubricarũ, membranarum ſuperficies tubi optici auxilio conſpiciuntur. Amplius ſi quis oleoſi, ac lenti humoris concretionem oculari quodam experimento dignoſcere cupit Butirum ex lacte confici recordetur non frigidũ, non in frigido loco, ſed continua circumductione ſpiſſatum quaſi in adipem efformari: fortè ad bubulci crebros iactatus in longo vaſe anguſto foramine

ſpiritum accipiente, non incon-
gruè reſpondere reputabit cō-
tinuas in noſtro corpore, tum
arteriarum micationes, tum re-
ciprocum reſpirationis motum;
& ſi libet, ex recentioribus etiam
ſanguinis circulationē; niſi quis
idem facilius experiri velit in a-
mygdalino oleo, quod cum te-
pida aqua, & crebra agitatione
impingue, ſolidumque corpus,
quod pomatam dicunt, commo-
diſſimè concreſcit. Nec incon-
gruum videtur ad oleoſi humo-
ris adipoſam craſſitiem promo-
uendam natiui noſtri ſalis acidū
vaporem accedere, ſiue ex qua
omniq; ſeroſitate, ſiue ex ea, quæ
ſinuum ad vreteres profluere de-
bere creditur, & in cutem, &
mem-

membranarum aliquarum inanitates aſcendat, & ſublimetur. Quandòquidem ab acri vrinæ chymicè parato ſpiritu momẽto vnusquiſq; videre poteſt cõmune oleum craſſeſcere, & in ſubalbidam ferè pinguedinem agitatione conuerti. An eadem acidi ſpiritus vi lacteæ, & dulciores particulæ exuberantis alimenti in ſubcutanea pinguedine à craſſarioribus ſeiunguntur, & in mammas aſcendunt? eodẽ certè lactis exemplo comprobatur, tùm quia ſi paululùm aceſcat butyrum copioſius redditur, tùm quia poſt conglobatum caſeum, quod dulce, & alimentoſum reliquum eſt in lacte per acidum quemcunq; liquorẽ

à paſtoribus, & Pharmacopolis quotidie extrahi videmus. Per eaſdem verò ſiuè informes inter membranas inanitates, ſiuè vaſorum canales & oſcilla, quibus ad pinguedinem gignēdam tunicæ irrigantur; lactis quoque non diſſimilem materiam colligi, & in mammas procedere putarem, cum non minùs candidum virorum, quàm glanduloſum in mãmis fœminarum corpus pinguedine ambiatur, ſiuè lentus, lacteusq; humor ſursùm ab imo ventre feratur, ſiuè à sterno proximiùs inſtilletur, iſq; vel ſub ſanguinis forma, vel ſub eadem lactis ſpecie rapiatur in hubera. Præter internā meherculè inter mammillares, & epi-

 ga-

gaſtricas venas dubiam anaſtomoſim, externa, facilior, & indubia proſtat, epigaſtricæ nempè ſubcutaneæ ab inguinibus, cum axillaris ſubcutaneę ramulis inter cutem, & pinguedinem coeuntibus. In grauida muliere, cui varicoſæ infernę venæ conſpectiores euaſerant, vidi ex inguinibus per latera, & ſub abdominis cute venarum vtrinq; propagines ad minoris ſcriptorij calami craſſitiē ſursùm repere, & tam proprijs, quàm axillariū ſurculis ſub mammis ad ſternū deflectere, ibiq; interiùs inſinuatas euaneſcere. ſiuè autem per mammarias interiùs, ſiuè axillares, & epigaſtricas exteriùs affluens alimentum in proximā

hu-

huberibus pinguedinē,& in ſternum profluat, lactei equidē humoris maiorem, ac peculiarem prouentum ex medio pectore, ſiuè eodem ſterno in mammas fluere, hæ mihi coniecturæ ſuadere hucùſq; potuerunt. Primū quòd partium ſternum conſtituentium natura id efflagitare videatur, vt nempè lentus & albus humor illùc huberrimè cōflueret, & quòd multæ ibi albæ cartilagines, multæ membranæ internæ, & externæ multas partes ſepiant, vel connectant, & adipe multo foueantur: deindè quod primę, & frequentiores ad ſemiglobuli mammarij limbū ex cādidis meatibus lacteę ſtillę exire videātur ab ea mammarū

parte,

parte, quæ ſternũ, & ſubiectas cartilagines proximiùs reſpicit. Quamuis .n. rariores, & exiliores meatus ad axillas, & humeros poſiti lac aliquod ex axillaribus glandulis, aut pinguedine, mãmas haurire ſuadeant, maior tamen, & proximior affluentia maiorẽ à ſterno copiã ferri argumẽto eſſe videtur. Si quis verò in mulieris lactantis huberibus ſanguineas venas à lacteis meatibusità diſtinctas eſſe recogitet, vt ne tantillum quidẽ cruoris lacteæ guttæ contrahant, & omninò velit, ſuccum merè lacteum non ſanguinenm in mãmas proficiſci, non modò non pugnarem, quinimò adderem non longè ab internis mãmillaribus

venis

venis meri lactis vaſculū in puerpera canicula me nuper inſpexiſſe, ex quo lacteas aliquas venulas per iugulum, & ſternū ad hubera peruenire non ſit abſurdum. Namq; propè thymicam glandulam ſub ipſa aſcendentis cauæ diuaricatione, & ſupra cordis baſin, dum laqueum ad ſanguinis, & cordis motum obſeruandum inijcere tentaremus caſu in lacteum ibi inſignem ductum incidimus, inter magnam venam, & arteriam repoſitum, quo inciſo non minimum lactis effluxit, ſed moriente interim & refrigeſcente catella, vt in reliquis lacteis accidit, euanuit vaſculum, nec vlteriorem proceſſum conſequi licuit. At dum

ocium

ocium, & lactiferi cadaueris opportunitas mihi expectanda eſt, dumq; doctiſſimas Ioannis Alcidij Muſnier de lactib° Thoracis lucubrationes anhelo, eidem pariter humaniſſimo hoc de cordis vicinia ſumptum, amoris, & obſeruantiæ ſymbolum iterùm dicatum eſſe volui.

FINIS.

Elenchus.

Adipis in Thorace ſtructura p. 35. *in mammillis* 53. *in glanduloſum corpus immergitur* 54. *copioſior in mammis ad ſternum* 54. *concreſcit motu, & acido ſpiritu* 68. *&* 70.

Aethiopum nigredo in cuticula tantùm 39. *non à ſole. ibidem.*

Alimentum exuberans vnde feratur ad mammas 14. 74. 75.

Anatomica minima in ſole & microſcopij auxilio inquirenda 40. 55. 67.

Areolę circa papillam 37. *color* 39. *Tubercula, ſeu natiuæ verrucæ* 55. *meatum habent ibid. lac ſeroſius fundunt. ibidem*

Butyrum quomodo ex lacte concreſcat 69.

Canis maſculus catulum lacte nutriens 6.

Caſeus hircinus, & Taurinus 5.

Color cuticulæ ineſt in papilla, & areola 39.

Corpus candidū, & lacunosum in mammillis virorum, & mulierum glandulosum 46. 50.

Cuticulæ ſtructura 40.

Cutis ſubſtātia 42. *meatus* 43. 45. 53.

Fœtum in vtero ſerum è māmillis fundere in Amnion, non vrinam, aut ſudorem 24.

Galeni opinio de vrina in veſica fœtus retenta confirmatur 22.

Glandulæ in corporibus obæſis minores 68.

Glādulosum mammarū corpus 55. *in viro lactifero* 46. *in virgine extenuata* 47. *in puerpera* 53. 55. *euaneſcit exiccatū* 47. 64. *circa adipem accreſcit* 55.

Hippocratis omentum 10 *in maſc. lac non agnouit* 8.

Humor lentus à natura membranas irrigat 65.

In-

Infantes, vide Pueri.

Lac maſculi verè lac. 6. è nup natis pueris frequēs 7. expreſſum aſcendit ad mammas 11. viæ 11. 73. an candidū feratur in vbera 59. ex acido liquore ſecernitur 71. Maior vndè prouentus 57. 74.

Lactantis mulieris in mammis conſtructio 53.

Lactei māmarum tubuli 12. 56. meatus ibidem. cryptę 58. differunt à ſāguineis venis 56.

Lacteus humor in vaſculo propè cor. 76.

Mammillarum vſus in vtero 18. à pueritia ad pubertatem ocium 27. meatus à natura patentes 18. 28. 38. officium extra vterum in viris & mulieribus non grauidis 30. Candidū, ac lacunoſum corpus 37. Virilium deſcriptio 36. etiam lactiferæ venas non habent vel exiguas 41. extuberantia ex quibus conflctur 37.

Mammæ & vterus creſcunt & decreſcunt 65. lactei earum tubuli 56. 58 meatus ibid. cryptę 57. 58

Lacunoſum in muliere corpus, ſeu glanduloſū 50. 56

In virgine emaciata 47. maius in lactantibus 37. magna in his differentia etiam inter mulieres 62. à viri mammillis eſſentiali differentia non diſtant 60.

Meatus per cutis craſſitiem excurrentes 45. 52. in tuberculis areolæ 51. 53 in ſūmitate papillæ 18. 53 virorum non conſpiciuntur, ſed mulierum 42.

Membrana carnoſa, & adipoſa alligatur cuti 43.

Membranarū in māmis frequentia 53. & per adipem numeroſa diſperſio 43 multiplicatio 66.

Microſcopij vſus in minimis Anatomiæ inquirendis 48. 67. 69.

Nerui manifeſti ad māmas non feruntur 49.

Ni-

Nigredo Aethiopum in cuticula, ſicuti & areola circa papillam 39.
Oleum quomodo in pinguedinem concreſcat 70.
Omentum infantes vel non habent, vel minimum 9. *Quid Hippocrati* 10.
Optici tubi vſus ad minima Anatomica 40. 67.
Papillarum ſubſtãtia 45 *meatus* 17. 42. 53.
Tubercula, ſeu verrucæ lac fundunt 51. *Capitula contrectata turgent.* 49.
Pinguedinem infãtes ex vtero prodeuntes non habent 11. *Vide Adeps*
Pueri nuper nati lac frequenter è mãmillis fundũt 7. 13. *In vtero ſerum* 24. *cutem imperuiam habent* 25. *vrinã non reddunt* 22. *ſudare in vtero improb.* 20
Puerperæ mammarum ſtructura 50. *Venæ ab inguine ad mammas* 73.
Seroſitas in Amnio ex mammillis augetur 23.
Spiritu Vrinæ adeps concreſcit 68. 70.
Sterno proximiores mãmarum partes magis lactiferæ 57.
Thoracici adipis ſtructura 35.
Tubercula plura in areola mãmillæ lactantis 51. *meatus habent & lac fundunt ibid.* & 53. *etiam in viris extant ibid.*
Vaſculum lacteum prope cor 76.
Venæ ſanguineæ à lacteis diuerſæ in mãmis 56. 59. *epigaſtricarum cum mammarijs internis dubia anaſtomoſis* 12. *magis certa externarũ ab inguine* 73
Vidua lac fundens 28.
Virgines lactiferę 27.
Virorum lac infantem nutrit 6. 29. *mãmillarum conſtructio* 35. *lacunoſum corpus* 46. *non differunt à muilerum mammis* 60.
Vterus creſcit, & decreſcit vt mammæ 65.

Finis.

581